

DEO colendo, & sic porro. Sunrque præcepta ejus partim affirmativa partim negativa. Illa uti Doctrina volunt, si unicum excipias de Deo colendo (quamvis & de hoc merito dubitari possit ut infra dicam §.19.) obligant quidem semper, sed non ad semper, hæc vero & semper & ad semper obligant, de quibus infra. §.cit. Inde etiam Jus Naturæ aliud Hypotheticum aliud Absolutum est. Hoc semper obligat & ad semper; illud autem semper quidem obligat, non vero ad semper hoc est non omni tempore ac loco: quale præceptum hypotheticum Juris Naturæ erat illud de non ducendis invicem fratribus & sororibus, quippe quod humanum genus non ut multiplicandum, sed ut multiplicatum obligare debebat. In Universum autem Juris Naturæ præcepta non tantum ideo justa & recta sunt, quia DEus voluit, sed quia DEus aliter velle non potest, (nequaquam tamen hoc assertum nostrum defectum aliquem in potentia Dei arguit; sed ita intelligendum, quod hæc atque talia ab æterno Naturæ Dei convenientia & ex eadem quasi resultantia non possit non velle censendum sit Sanctissimum illud Ens) obligantque omnes omnino homines cujuscunque status & conditionis sint ab eo quidem tempore quo usus rationis sese exercere incipit: id quod propter infantes addendum erat. Hi enim quoniam ratione suâ nondum uti, neque judicium de actuum convenientia aut dis convenientia cum recta ratione ferre possunt, nec ad obsequium juris Naturalis, nec ad pœnam ejus quoad forum exterius obligantur. Latet interim in ipsorum intellectu potentia quædam proxima cognoscendi & dijudicandi, quid naturæ rationali consentaneum & dissentaneum, quæ quamprimum in actum prodit & justa ætas ac plenior rationis usus accedit, ipsos etiam obnoxios facit observantiæ juri Naturali præstandæ. Adjunctum hujus Juris inseparabile est immutabilitas, non quidem ratione transgressionis, sed abrogationis atque dispensationis, non solum ex parte hominis, sed etiam ex parte Dei ipsius, in tantum, ut eodem subjecto, objecto,